

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

'92

05

T1-229

12



L

P
P

Georgius Mihálycz
Anno Domini L. 1. 99

Georgius Mihálycz
Anno Domini L. 1. 99
Georgius Mihálycz
Anno Domini L. 1. 98

CULTUS B. MATRIS

Præter
CONSTANTES

Q. Etiam

IN MENSTRUAS,
HEBDOMADARIAS,

QUOTIDIANAS ,

Lector ET *Assignans*

HORARIAS PRAXES


Lector Breviter *Assignans*
DISTRIBUTUS.

BIBLIOTECA

100

CLAUDIOPOLI
Typis Academicis Soc. JESU
Anno 1761.

1174





PRAXES

Pro constanti Cultu Beatissimæ Matri.

Totis Medullis cordium, monet Bernardus, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas Ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Age igitur, & amando divini Matrem amoris, DEI voluntatem adimple. Imitare S. Brinulphum Scarensem in Suecia Episcopum, de quo B. Virgo ad S. Brigidam: *Hic est, qui me, dum vixit, vitâ habuit chariorem.* Ut idem amoris testimonium merearis, elige Mariam in Matrem, Dominam, & Patronam tuam, fidem Ei solejni formula & magis opere, contestando:

*Sancta Maria Mater DEI, &
Virgo! Ego N. Te bodie in Domi-
nam, Patronam, & Advocatam eli-
go, firmiterque statuo, ac propono:
me nunquam Te derelicturum, neque
facturum, aut permisurum, ut à
meis subditis aliquid contra tuum ho-
norem, unquam agatur. Obsecro Te
igitur, suscipe me in servum perpe-
tuum; ad sis mibi in omnibus meis a-
ctionibus, nec me deseras in hora mor-
tis meæ, Amen.*

Hanc formulam Joannes Berch-
mannus S. J. quotidie mane reci-
taverat, & sumpto SS. Eucharistiae
Sacramento identidem renovavit.
Familiare illi erat: *Volo amare Ma-
riam. Securus non sum, nisi habeam
verum, & filiale affectum erga B.
Virginem. Rogatus a Sacerdote,
jam morti proximus: utrum Ma-
riam amet? Reposuit: Si mille cor-
da haberem, mille cordibus amarem.
Et mox: Quam conatus sum amare
in vita, & ipsa amabit me in morte.*

I. Hunc

I. Hunc amorem Marianum ut consequare, odio peccatum habe, omni studio corporis animique puritatem sectare: quidquid in imaginibus, libris, conversationibus periculosest, fuge. Quia fugere hac in arena, est vincere, ac præstat perire non posse, quam continuo in periculo non periisse.

S. Aloysius Gonzaga Magnæ Matris placendi studio accensus, nono ætatis anno Florentiæ Virginitatem voto spopondit, nunquam vel levissimo nævo ad mortem usque contaminatam. Parem in modum jam antea SS. Edmundus, Alexius, Casimirus, aliqui purissimæ Virginis amatores sese devoverant. Æmulare puritatem, sed cave, ne voto, sine conscientiæ Arbitri consilio, te obstringas. Verecundiam indue S. Bernardini Senensis, cuius ad aures, si quod turpe verbum fuit allapsum, rubore suffusus est, ceu colapho ictus esset. Hinc eo præsen-

te nemo aliquid minus honestum proferre ausus, & si forte indecorus cœptus sermo, illo accedente conticuere omnes, data veluti tessa: *Tacete: Bernardinus adest.*

II. Si vitii alicujus consuetudine laboras, in honorem DEIparæ aliquo tempore abstine. Ita S. Bernardus Nobilem Gallum à gravis peccati consuetudine liberavit, impetrans, ut in honorem SS. Trinitatis triduo abstineret à vicio; alio triduo in honorem B. V. Mariæ, tandem alio in honorem SS. omnium. Paruit monito, & foedæ consuetudinis vinculo est solutus. Similes nimiriun amor facit, quos tales non invenit. Hinc graviter errant, qui prætextu obsequioruin, quæ Mariæ exhibent, liberius Filium ejus offendunt. Servum ejusmodi temerarium coram Divino tribunali ab ipsa DEI Genitrice incusatum Sancta Brigida vidit.

III. Etiam fiduciam auget amor.
 Quare nullum fuscipe negotium ,
 opus nullum præsertim majoris mo-
 menti , aggredere , nisi prius post
DEUM invocata **DEI** para. S. Fran-
 ciscus de Paula ab infantia morem
 hunc tenuit: omni sermoni Saluta-
 tionem **DEI** paræ præmisit. S. Ignat-
 ius suspensis ad Virginis aram ar-
 mis in monte Serato , sub Ejus au-
 spiciis novus Christi miles esse coe-
 pit. S. Theresia in Antistitem Mo-
 nasterii Avilensis electa , ad pedes
 Dominæ nostræ , cuius imaginem
 in Choro ad locum Antistitis erigi
 curavit , claves deposita.

IV. In necessitatibus , & adversis
 omnibus filiali cum fiducia ad Ma-
 riam recurre , præcipue in tentatio-
 nibus dicendo : *Monstra Te esse Ma-
 trem. Sub tuum præsidium confu-
 gimus sancta DEI Genitrix , &c.*
 Imo non expectabis temptationem ,
 sed secundum consilium , quod ho-
 mini prava consuetudine implicito

S. Philippus Nerius dederat, hoc recursu illam prævenies.

S. Franciscus Xaverius à Dæmonibus inter orandum verberatus nihil de oratione remittens, DEIparam ferventius implorabat : *Domi-na opitulare ! Sanctissima DEIpara-Cæli Regina ! quæ quidquid Filium oras, semper exoras, adesto Advocata nostra !*

V. Mariam elige in literarum studiorumque Præsidem & Patronam, eamque in dubiis, & difficultatibus invoca, quia est Sedes Sapientiæ. **S.** Edmundus cum libris operam dabat, **B. V.** Imaginem eburneam coram se habebat, ut cum lectione preces ad DEIparam conjungeret. Neque studium unquam inchoabat, nisi Ejus ope prius implorata.

P. Franciscus Suarez S. J. pietate, & doctrina illustris Theologus dubia sua, quæ inter studendum occurrebant, solitus est orando con-fer-

ferre cum B. Virgine , à qua cum solutionem accepisset , genu flexo Eidem gratias egit.

VI. Si nondum elegisti stabile vitæ genus , Mariæ utpote Matri boni consilii commenda negotium tuæ salutis , in diligendo vitæ statu ; si vero jam elegisti , proposita tua , beneque juxta status tui rationem vivendi desideria Mariæ confirmando offer . S. Aloysius DEIparam consulens in hoc negotio , post Sacram Synaxim perceptam , ex Ejusdem imagine allapsa hæc verba audivit : *Societatem JESU ingredere.*

P. Thomas Sanchez , cum ob linguae impedimentum in Societatem JESU , quam ardenter exoptabat , non reciperetur , ope Virginis Matris invocata , impedimento solutus , & societatem ingressus est , quam vitæ innocentia , & singulari doctrina illustravit .

VII. Ut firmior tuus in Virginem amor maneat , Nomen tuum Soda-

litati rite inscribe, Cœtus diligenter frequenta, leges observa. Præivre Cæsares, Reges, Principes, Magistratus insignibus exemplis, quæ merito nos trahant.

Justus Lipsius vir inter Belgas celeberrimus, morti vicinus cum rogaretur, quidnam illi in extrema illa hora maximo esset solatio? respondit: *Quod DEI paræ Sodalitati nomen dederit.*

VIII. Sequere monitum S. Bernard. Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat à corde, non recedat ab ore. Quare frequenter Sanctissimum Mariæ Nomen cum fiducia, & reverentia invoca. *Maria! Mater DEI memento mei!* Angeli (ita ipsa Virgo ad S. Brigidam dixisse fertur) cum audiunt Nomen meum, delectantur, animæ purgantes solatum accipiunt, e contra omnes Dæmones contremiscunt. *O Magna!* exclamat Bernardus, *o Magna, o*

Pia!

*Pia! ô multum amabilis Maria! Tu
nec nominari quidem potes, quin ac-
cendas, nec cogitari, quin recrees affe-
ctus diligentium Te.*

IX. Ubi in te amor Virginis Ma-
riæ exarserit, etiam alios accende,
maxime Tibi subjectos ad cultum
Virginis DEI paræ hortare, instrue
teneriorem ætatem, qua ratione lau-
dare Virginem, & invocare debeat.
Sors hæc S. Francisco Borgiæ, & S.
Aloysio obtigit, ut prima, quæ for-
mare docti sunt, verba fuerint No-
mina JESU, & MARIÆ. Joannes I.
Lusitanus Rex sedulus erat in Dei Ma-
tris amore, ac veneratione procu-
randa. Author erat Ministris, ac
reliquis aulicis suis, ut officium B.
Virginis recitarent. Sanctæ Brigi-
dæ Ipsa Virgo his verbis conu-
luit: *Labora, ut filii tui, sint eti-
am filii mei.*

X. Ad promovendum Virginis
cultum juverit: de Ea crebro ser-

monem inferre. Dextrè id novit D. Bernardus, & S. Stanislaus Kostka S. J. aliique Mariani Clientes. Imitare, & experimento disces: *Cum Tui sit mentio, Maria gustum sentio.* Eo fine nonnulli in Cœtum statis diebus coire soliti, de Marianis laudibus ultiro, citroque conferunt.

XI. Ut magis DEIparæ placeas, illos etiam Sanctos venerare, qui B. Virginem cognatione contingunt, præcipue D. Josephum, & D. Annam.

XII. Si facultates suppetunt, auge Sacram Suppellectilem in Templis, Aris, & Sodalitatibus Marianis. Constantinopoli Pulcheria Augusta, Aquis-Grani Carolus Magnus, in Hungaria S. Stephanus Rex, Spiræ S. Henricus, in Lusitania Joannes I. alii alibi Templa magnifica in honorem DEIparentis condidere. Henricus Canisius Ingolstadiensem Sodalitatem ex aße hæredem instituit.

tuit. Marcus Antonius Muretus Romano Virginis Sodalito quingentos aureos testamento legavit. Si opibus non vales, saltem floribus, aut alia ratione altaria, vel imagines Virginis exorna. Mauricum Mancipium hoc obsequio baptismi incredibili animi obstinatione antea contempti, desiderium in gratiam accipere meruit.

XIII. Si minus illa potes: offer Virgini Coronam florum Spirituum, id est: variorum actuum virtutis, & mortificationis, qui diebus singulis in Ejus honorem exerceantur. Usu jam pene quotidiano, hujus obsequii exercitium Marianis Clientibus est receptum.

XIV. Nunquam intermitte Marianæ pietatis obsequia, quæ persolvere constituisti. Novi magni Nominis Sodalem quempiam, cui ingenti in morte solatio fuit, rosarium a se, quadraginta duorum annorum spatio, nulla die, non recitatum esse.

Franciscus Costerus S. J. illustris
 B. Virginis Cultor, morti proximus,
 cum interrogaretur, quis cultus DEI-
 paræ effet omnium acceptissimus ?
 respondit : *Constans*, *quantumvis*
exiguus. Ut porro tempus haud ul-
 lum Cultu Mariano sit vacuum, varias
 praxes subjicio, quas sincerus quis-
 que Magnæ Matris Cultor obeat.

PRAXES

Pro Menstruo Cultu B. Matris.

I. **M**Ensis initio vide, qui in Vir-
 ginis cultu te habeas ? & ut
 negligentias in obsequio Mariano-
 suppleas, obedientiam a Divino fi-
 lio præstitatam ipsi offer. Hoc genus
 obsequii Christus ipse S. Mechtil-
 dem docuit, cui cum apud Domi-
 num conquereretur, quod nunquam
 ipsius Matri, pro merito inserviisset,
 Christus apparuit, & os illius cor-
 di applicuit, dicens : *Hinc hauries*,
quantum Matri meæ offerre desideras.

II. Ob-

II. Obierva diligenter Festa DEI Parentis, quæ singulis mensibus occurunt: Nimirum Desponsationis 25. Januarii. Purificationis 2. Februarii. Annunciationis 25. Martii. Dolorum in Aprili. Gaudiorum in Majo. Cordis B. V. in Junio. Visitationis 2. Julii. Assumptionis 15. Augusti, quam diem Magnæ Dominae appellari à suis voluit S. Hungariae Rex Stephanus. Nativitatis, & Nominis B.V. in Septembri. Rosarii B. M.V. in Octobri. Præsentationis 21. Novembris. Immaculatæ Conceptionis in Decembri.

Horum Festorum Mysteria præcipue recolenda sunt, & congruis obsequiis honoranda. Nonnulli per octavam Festorum Virginis recitare quotidie triginta quinque *Ave Maria* solent, in honorem totidem dierum, quibus JESUS in utero B. Virginis commoratus est, & dierum, quibus B. Virgo in utero S. Annæ delituit. Hoc pietatis obse-

sequium Virgo ipsa S. Gertrudem docuit, & obeuntibus ingens præmium promisit.

III. Ut inajore cum pietate, animæque commodo, præcipue septem solemniora Festa celebres, devotam aliquam præparationem præmitte. P. Claverus S. J. biduo, triduoque ante Festa B.V. M. exivit in vicos & plateas, omnesque ad Festum imminens, Sacramentis obeundis religiose celebrandum invitavit. Franciscus Toletus Cardinalis è Soc. JEsu 40. dies totos, etiam in ultima ætate ante Festum Assumptionis B. V. M. jejunabat. Festis Immaculatæ Conceptionis, & Annunciationis octo dierum jejunia præmisit, augebat Eleemosynas, ejusque templo noctu visitabat. In pervigiliis Virginis S. Carolus Borromæus, & sequaces plurimi, jejunium pane & aqua definivere. Id ipsum in usu fuit P. Thomæ Sanchez, qui tria maxime in deliciis habuit, SS. Sacra-

men-

mentum, JESUM crucifixum, & Mariam Virginem. P. Franciscus Comacho S. J. se DEI paræ dabat in victimam, & sub Ejus Festa jejuniis, asperis ciliciis, & mira somni brevitate in se ipsum erat severior.

IV. Mensibus singulis sub præsidio Mariæ Matris Misericordiæ, per Sacramentum pœnitentiæ animam sincere à vitiis purga, idque potissimum Festis ejusdem diebus. Semel Generalem Confessionem institue, & deinceps circa Festum aliquod B. M. V. annis singulis ab ultima Confessione generali inchoando generaliter confitere. Documentum hujus S. Franciscus Borgia dabat, qui selectis B. V. M. Festis animum ipse suum introspectit, si quid forte elanguisse comperisset.

V. Pariter, ut minimum semel, mense quolibet SS. Synaxim sume, & ope DEI Matris inde devotionis incrementum cape. S. Ignatius de Loyola, incredibilis aiebat esse so-

PRAXES

Pro Hebdomadario Cultu Beatissimæ Matris.

I. Singulis hebdomadis elige ex vita B.M.V. specialem virtutem, in Ejus honorem exercendam: S. Eduardus Rex, S. Alexius, S. Elzearius. S. Aloys. & mille alii DEI Matrem Virginem imitandi studio, castimoniam delegerunt. Alii humilitatem, Devotionem, patientiam, solertiam in studiis, negotiisque tractandis, exactum silentium, charitatem, obedientiam, paupertatem alii imitandam sibi proposuere, atque has virtutes, ut in se efformarent, cum P. Thoma Sanchez particulare examen adhibuere.

S. Franciscus Borgia, ut Gynæceum, quod in aula Joannis Lusitanæ Regis erat, ad pietatem exti-

stimularet, schedas curavit aptari, quot illic erant Matronæ Virgines Nobiles. Tum sorte eductis earum nominibus, divisit illis has schedulas, in quibus signatae erant certæ orationes perolvendæ, certaque virtus exercenda per octiduum; quod tunc ob DEIparæ festum celebra-bant. Imitare! facili negotio in-ter Domesticos, aut Senolares, vir-tutes Marianæ, aut DEIparam col-lendi praxes dividi, & piis Clien-tibus forte committi posset.

II. Die Dominico: Gratias age B. V. M. pro beneficiis, quæ ab ip-sa, & per Ipsam accepisti. Omnia enim per Illam habemus. Propo-ne novum fervorem in Cultu Ejus. S. Hermannus Præmonstratensis, cum semel obsequia, quæ Virgi-ni reddebat, obivisset negligentius, Hanc sibi obviam vidi in decrepi-tæ, & deformis fœminæ habitu, at-que dicentem: Talis sum in tuo di-stracto & negligenti animo, quo di-
cto

cto confusum, & emendatum reliquit.

Lege hodie librum de B. M. V. hac lectione Ven. Joannes Berchmannus, aliquique plurimum profeceret. Abjice, si quem domi habeas, obscenum librum, averfatur hos libros Pugnare. Virgo, & recedit a cubiculo, in quo ejusmodi Marianus hostis teratur.

Die Iunæ Virginis Imaginem in cubiculo expone, aut tecum defer, ingens ab his terror, teste secundo Concilio Nicæno, diabolo incutitur. Ludovicus Pius Imp. semper aliquam Divinæ Matris Imaginem circumtulit, coram quâ, cum venatus egressus esset, Comitibus aliis recreationi intentis, flexis Ipse genibus preces persolvit.

Gaude ex animo de perfectionibus Virginis Sanctissimæ, aspira cum D. Brigida. Ego vero mallem mansisse in nibilo meo, quam ut Maria in Mundum non sit producta, ut-

utque illa non esset Mater DEI, & Regina Universi.

Die Martis: Singulari cultu hodie cognatos DEIparæ venerare. P. Josephus Scammaca S. J. saepe ad S. Annam sic aspiravit: *O Beatissima Anna, rogo Sanctissimam filiam tuam Mariam Matrem DEI, ut ipsa me commendet Benedicto Filio Suo JESU Christo, Nepoti Tuo; ut è sinu Divinæ Misericordiæ nunquam excidam.*

Die Mercurii: Offer Beatæ Virginis cor Divini Ipsius Filii, exemplo S. Gertrudis, cui testata est Virgo: hanc oblationem sibi pergratian fore. Elice hodie Hunc affectum: *Cupio o Domina mea, Te amare illo amore, quo Te JESUS tuus amavit. Desidero servire Tibi emnibus viribus meis, & obsequia illa præstare, quæ tibi JESUS in carne mortali præstítit, & præstant nunc in cœlo omnes Sancti, & Justi omnes in terra.*

Fac hodie Eleemosynam in honorem B. V. S. Elisabetha Hungariæ Regina, cum parvula adhuc esset, pecunias, quæ ad recreationem Ipsi concessæ erant, omnes asservabat, ad honorem Virginis in eleemosynam erogandas. Pro compensatione aliqua petebat à pauperibus, ut recitarent *Ave Maria*. Sanctus Gerardus, primus Episcopus, & primus Hungariæ Martyr nemini negabat quidquam, quod nomine Magnæ Dominæ petebatur. Si deest eleemosyna corporalis, Spiritualem impende, & in Cultu B. V. alios instrue, hortare, &c.

Die Jovis: Visita devote aliquam Ecclesiam, aut Sacellum honoribus B. Virginis consecratum. Thomas Sanchez non virtute minus, quam scientia illustris, quoties domo exibat, semper aliquam Mariæ dedicatam ædein invisebat. Sanctus Henricus Imperator cum civitatem aliquam ingrederetur, recta petiit tem-

templa ob devotionem Marianam magis celebria, ut magnam Virginem honoraret. Sic Venerabilis Joannes Berchmannus: antequam Societati nomen daret, quotidie Aspricollensem Virginis ædem adibat. Postea Religiosus nullum passus est elabi diem, quo non salutaret DEI Matrem in Sacello eidem dicato. S. Gerlacus quovis anno ad Aquisgranensem DEIpam visitandam, nudis pedibus peregrinari solebat. Utteris his verbis: *Ave Virgo Filia DEI Patris! ave Virgo Sponsa Spiritus Sancti! ave Templum totius SS. Trinitatis.*

Die Veneris: Compatere doloribus, quos Virgo in Passione Filii sustinuit. Admodum à te illorum memoriam desiderat Virgo Sanctissima, olim S. Brigidæ de Christianis conquesta, quod à paucis sincere diligeretur, quia nimirum pauci suis doloribus compaterentur. Unde B. Margarita de Cortona, ut

B dol-

dolorum Mariæ pārticeps fieret, petiit & obtinuit: multos inde favores consecuta. Proderit hodie mortificationem aliquam assumere in honorem B. V. Beata Musa, quæ amore Virginis à ludis infantilibus abstinebat, ab hac invitata, & ad cœlum deducta est. B. Nicolaus Tolentinus adhuc infans tribus per hebdomadam vicibus lac à nutrice summere recusabat, mercedis loco morienti adstitit Maria, & in cœlum deduxit. Ora hodie *Stabat Mater.* aut 7. *Pater & Ave.* in honorem 7. dolorum Virginis. *Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam. Fac ut ardeat cor meum in amando Christum DEUM, ut tibi complaceam.*

Sabbathi Diem ab Ecclesia cultui Mariano specialiter dicatum singuliari pietate exige. S. Nicolaus Tolentinus, S. Elisabetha, S. Carolus Borromæus, Franciscus Toletus, aliique singulis Sabbathis strictum jejunium observarunt. Se-

Sebastianus Lusitaniæ Rex quolibet Sabbatho bis Sacrificio Missæ interfuit, & etiam Sacerdoti ministrabat. S. Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus diebus Sabbathinis ad carnem durissimum gestabat cilicum, in quo refaciendo à DEI para fuit adjutus. Venerabilis Johannes Berchmannus Sabbatha præter jejunium, publico aliquo humilitatis exercitio, & privata sui afflictione celebravit, statuitque diebus his aliquid loqui de B.M.V. P. Johannes Pelletarius singulis Sabbathis ad populum constanter de Laudibus Virginis dixit.

Cardinalis Baronius omni Sabbatho sermonem de Divinis rebus ad suos domesticos habuit, aut fieri curavit, quem ipse audivit. Eodem die S. Gerardus, Episcopus Csandiensis in altari, quod ad honorem Virginis erexit, devotionis suæ officium explevit.

Ferdinandus III. Imperator ad
B 2 Sta-

latii, diligenter expendere, quoties
Divinis epulis accumbimus, non
Christi Domini solum, sed & Ma-
tris Ejus DEIparæ Mariæ carnibus
nos vesci, ac cibari.

S. Franciscus Borgia, triduo an-
te sumptionem SS. Eucharistiæ, per
B. V. opem imploratam, se in hunc
modum disponebat: Primo die ve-
speri novies salutationem Angelici-
cam recitabat B. Virgini, ut ipsi ob-
tineret à D E O apparatus animi
mensæ divinæ parem. Nempe 1.
DEI, & animarum salutis fervens
desiderium. 2. Dignam ad hoc Sa-
cramentum præparationem. 3. Hu-
militatem. 4. Charitatem. 5. Sen-
sum Passionis Christi. 6. Incremen-
tum fidei. 7. Augmentum gratiæ
ad Christum digne recipiendum.
8. Devotionem. 9. Spirituale gau-
dium. Secundo die offerebat quin-
que Orationes Dominicas, & toti-
dem Angelicas salutationes, ut per
Mariam particeps fieret Passionis
Chri-

Christi, suoque cordi quinque ejus
vulnera imprimarentur. Tertio die
septies *Ave Maria* dicebat, ut per
illam dona Spiritus Sancti impetra-
ret. Post Eucharistiae sumptionem
triduum denuo impendit gratias
agendo in hunc modum: Primo
die vesperi Mariam tanquam DEI
Patris Filiam adivit, recitataque ter
salutatione Angelica gratias illi egit
pro præparatione ad Incarnationis
Mysterium, quo ad nos Cœlestis hic
Panis devenit. Altero die salutavit
Matrem DEI Filii ter dicendo: *Ave
Maria*; gratiasque egit Matri JESU,
quod lacte proprio, magnisque la-
boribus hunc Panem nobis ad vi-
ctum dederit. Tertio die Spiritus
S. Sponsam veneratus est, iterum
ter orando Salutationem Angelicam,
egit Mariæ gratias, quod charitate
maxima redemptionis nostræ causa
Filium DEI in Cruce obtulerit.

trem salutavit orans ut sibi bene pre-
cetur. Oblato in vicem corde suo.

III. Te, Tua omnia, illosque,
qui tuæ Curæ commissi sunt, sæpe
commenda B. V. atque in Ejus tu-
telam. Dic : *Meque meosque Tibi
commendo Virgo Maria!* S. Caro-
lus Boromæus omnia, quæ condi-
derat collegia , B. V. Patrocinio
commisit. S. Stephannus Rex Hunga-
riæ totius Regni Patronam Mariam
constituit.

IV. Preces à Sodalitatis legibus
præscriptas nunquam omitte. Offi-
cium de immaculata Conceptione,
Litanias Lauretanæ, Rosarium di-
ligenter persolve.

S. Gertrudis cum Rosarium ali-
quando oraffet: ante pedes JESU
Christi tot globulos aureos vidit,
quod verba recitando protulit, quos
subinde Dominus in manus Virgi-
nis depositus. Hæc vero in sinum
suum recepit : dicens : se totidem
aliam

alia beneficia Gertrudi in ultimo articulo reddituram.

V. Cura: ut semper tecum Coronam, seu Rosarium habeas. Sanct. Franciscus Salesius illud è zona pendulum gestavit, ut palam testaretur, se esse servum Mariæ. S. Ludovicus Bertrandus, & Ven. Johannes Berchmannus nocte etiam, cum somno se darent, illud prius exosculati collo imponebant.

VI. In honorem B. V. quotidie Sacrificio Missæ interesse stude. Petrus Cisterciensis, qui in honorem Virginis pluribus Sacris adesse solebat, visus est post mortem inter Cœli cives splendoribus irradiari.

VII. Quotidie cordis puritatem à Virgine postula. P. Bernardinus Realinus casto Adolescenti, at saepius impuris cogitationibus tentato Author fuit: ut cum immundus hostis resurgeret, pectus ter signo Crucis muniret, diceretque: Per Sanctam Virginitatem, & Immaculatam

latam Conceptionem tuam, ô purissima Virgo emunda cor, corpus, & animam meam, in Nominе Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Monitum secutus Adolescens, fas-sus est, se nunquam postea ejusmo-di tentatione agitatum. Hunc in finem accurate examen consciencиæ institue.

VIII. Quando è cubiculo prodis vel redis, saluta B. Virginem, tene que illi commenda. Hoc devo-tionis genus exercuit Landspergius magni Nominis Carthusianus, mul-tosque habet imitatores. Sequere & tu, & imaginem B. V. procura, cuius pedes osculari possis, quoties loco tuo abis, vel reverteris. Suc-cessum in gestis negotiis relatum, huic praxi adscripsit Carolus Scri-banius.

IX. Quoties imaginem B. V. M. cernis, detecto capite, & pio cor-dis affectu saluta. S. Bernardus dum aliquando ita salutasset Virginem :

Ave

Ave Maria, responsum audire meritus est: Salve Bernarde. Imo constanter ad pectus V.M. imaginem gesta, ut supra monuimus, id quod enixe suasit suis S. Carolus Borromæus, iconem Matris DEI, tanquam salutare adversus omnia mala amuletum reputans. S. Ignatius Loy. Baronius, Ferdinandus Marchio Gonzaga, Sebastianus Rex Lusitanæ, semper è collo pendulam tulerre B. V. effigiem, ceu vitæ præsidium.

X. Ad sonitum horologii Mariam invoca. S. Richardus Cisterciensis in Anglia Episcopus, hanc prestationem in vita, & in morte usurpabat: *Maria Mater gratiæ, Mater Misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis fuscipe.* Alphonsus Rodriguez: *JESUS! MARIA! mei dulcissimi amores! patiar ego, moriar ego amore vestri, vester sim totus, & nullatenus meus!*

XI. Ad signum Salutationis An-

gelicæ in genua procumbe. Qui-dam in lecto jacens, cum ad matu-tinum Salutationis Angelicæ signum genu flectere omitteret, vidit, quod Ecclesiæ turris suo se vertice pœne ad terram inclinaret, unaque vo-cem audiit, quæ graviter segni-tiem in exhibendo Virginis Cultu, exprobrabat.

XII. Sanctissimo Nomine JESU, & Mariæ, dum surgis, & decumbis, frontem, & pectus devote munias. Solitus est id S. Edmundus, ante-quam se in lecto ad quietem com-poneret.

XIII. Multis salutare fuit: nulla non die devote recitasse Antiphonam: *Beata viscera MARIAE Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, & beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.* Quotidie etiam *Salve Regina*, aut aliam pro tem-pore Antiphonam ora.

XIV. Pergrata est B. Matri reci-tatio Cantici sui *Magnificat*. Si non fin-

singulis, saltem S. Communionis diebus illud (Deo, & B. V. gratias agendo) recita. Personæ cuidam devotæ, quæ sæpius hoc Marianum Canticum persolvit, in articulo mortis apparuit B. V. eidemque benedixit, tum animam illam devoutam secum ad cœlum deduxit.

XV. Vespere ne omittas secundum Legis Marianæ Sancitum examinata conscientia, (quod singulare cura à puritatis amante obeundum) aliis precibus ter *Pater*, & *Ave*, & Psalmum *De profundis*, pro Defunctis adjungere. Placet enim valde DEIparæ Virgini, si animabus illis purgantibus feramus precibus subsidium. Nam S. Brigidæ fasfa est, se Matrem illarum quoque animarum esse. Præsertim pro illis ora, quæ magis Virgini in vita devoutæ fuerunt.

XVI: Singulis diebus invoca B. Virginem, suscepta etiam aliqua corporis, animique mortificatione,

ut in hora mortis tibi assistat. Præcipue observa voces in Salutatione Angelica: *Nunc*, & in hora mortis nostræ. P. Bartholomæus Didacus S. J. rogatus ante mortem, quid hoc in Articulo eum maxime recrearet, respondit: *Beatissimæ Virginis præsidium.* Et merito sane, nam dum S. Joannes de DEO, & ipse morti proximus suprema illa in lucta B. Virginis auxilium invocaret, præsentem ipsam DEI param, & mortualement sudorem abstergentem sensit, simul atque has solatio plenas voces audivit: *Joannes! non soleo devotos meos in hac hora deserere.*



PRA-

PRAXES
Pro
Horario Cultu Beatissimæ
M A T R I S.

HORA I.

Ad Matrem Christi.

A Ve DEI Patris Filia, DEI Filiū
Mater, DEI Spiritus Sancti
Sponsa, & Mater D. N. JESU
Christi ave. Per te accessum ha-
beamus ad hunc Filium tuum pri-
mogenitum, ut per te nos fuscipiat,
& per te votis nostris ac precibus
benignus annuat, per quem in ara
crucis morientem, tibi traditi fu-
mus adoptivi. Hoc meum, hoc
omnium filiorum tuorum votum
est: pro quorum singulorum neces-
sitatibus humillime supplicem me
hodie apud te, Mater dilectissima,
indignissimum admitte advocationem,
Amen.

Statuam B. V. M. Viennæ quolibet die Sabbathi Lauretanæ Virginis laudes decantari voluit, qui mos jam plurimis in Ecclesiis, convenientibus devotis Mariæ Clientibus servatur.

Expedit hac die, libellum de Cultu B. M. V. legere, & lecta aliis narrare.

Oratio S. Anselmi.

IMpende mihi tuam ô Virgo gratiam, & fac cum servo tuo misericordiam, ut diligens diligar à te, quin magis: sicut verè diligis me, ita & ego verè diligam **Te**. Veneretur **Te**, sicut dignum est, mens mea, diligat **Te**, sicut æquum est, cor meum; serviat **Tibi**, sicut expedit, anima mea; exultet in **Te**, sicut debet caro mea; & in hoc consumetur vita mea, ut in æternum salvetur tota substantia mea.

PRA-

PRAXES

Pro
Quotidiano Cultu Beatissimæ
MATRIS.

I. **O**Mnes actiones tuas in hono-
rem Magnæ Matris offeras,
& illas unito cum ipsius Virtutibus.
Vifa fuit aliquando studiosi juvenis
anima instar candidissimæ colum-
bæ in gremio Virginis M. residere,
quam ipsa in Cœlum se ducere af-
firmarat , ut mercedem studiorum
fuorum reciperet , quia hæc non
ad propriam gloriam, sed ad Ma-
tris DEI honorem direxit.

Mane , & vespere pete à B. Ma-
tre benedictionem , his verbis : *Nos
cum prole pia bexedicat Virgo Ma-
ria* , quibus Beatus Henricus Sufo
dæmonem aliquando in fugam egit.
S. Stanislaus mane , & vespere se ad
Templum B. V. convertit , & Ma-

Mater inviolata! te enim apud Filiū
advocatam nobis constituit
Pater, qui eundem apud se Filium
nobis dedit mediatorem; redde
igitur nobis peccatoribus illum pla-
cabilem, & hunc benedictum fru-
ctum inviolati ventris tui, JESU
nobis post hoc exilium ostende.
Amen.

HORA VI.

Ad Matrem Intemeratam.

Indignus sum, qui oculos ad cœ-
lum levem, & ad thronum mi-
sericordiæ & gratiæ DEI accedam,
quem toties ingratus & impudens
despexi, tu unica, ô Mater inteme-
rata! peccatorum advocata es. Tu
es, ô MARIA! cui Filius tanquam
Matri dilectissimæ nihil negat, re-
concilia me, nosque omnes ado-
ptivos filios tuos ostende DEO, &
redde eum nobis propitium tua in-
tercessione, ut te tota æternitate
glorificemus Matrem nostram. Amen.

HORA VII.

Ad Matrem Amabilem.

OMAGNA! ô pia! ô Mater amabilis MARIA! respice in nos amabili vultu tuo, & ad præsidium, & tutelam tuam configuentes Maternis brachiis amplectere. Audi filios tuos gementes & fientes in hac lachrymarum valle, & fiat verbo tuo ille nobis propitius, qui per te datus est nobis JESUS Christus, DEI, & tuus Filius. Amen.

HORA VIII.

Ad Matrem Admirabilem.

TRahi nos post te, ô Mater admirabilis! quia semper sancta, semper Virgo; ut curramus in odorem virtutum tuarum: converte ad nos lumen miserationum tuarum, ne nos urant perversæ nostræ concupiscentiæ: Sub umbra alarum tuarum nos protege, sub hanc

hanc confugimus , exules adhuc & Evæ , sed tamen & tui Filii ô Maria ! esto igitur requies nostra , in te habitamus (quoniam Matrem elegimus te) Amen.

HORA IX.

Ad Matrem Creatoris.

O Mnipotentis omnipotens Ma-
ter Creatoris, fileat misericor-
diam tuam , si quis est , qui invo-
catam te in necessitatibus sibi me-
minit defuisse. Ego opus tuum sum,
opus manuum tuarum omnes nos ;
in te enim, per te, & de te nostra sunt
omnia, vita, & melior vita, vocatio
nostra : merito igitur in te spem no-
stram reponimus, ut nobis gratiam
DEI concilies, conserves, & augeas,
per quam solam DEO & tibi vivi-
mus, Amen.

HORA X.

Ad Matrem Salvatoris.

B Eatam te dicent omnes genera-
tiones , Genitrix vitæ, & Mater
Sal-

Salvatoris, vere omnium viventium
Mater effecta es, dum mundo vi-
 tam & gratiam per Filium genuisti.
 Procura nobis hanc gratiam, ut æ-
 ternam nos serves in vitam, in hu-
 jus enim mundi pelago certum est
 omnium naufragium, nisi tu stella
 navigantibus adfis. O adfis pericli-
 tantibus in temptationum procellis!
 & fiat conscientiæ tranquillitas: ô
 adfis! & conatus nostros ad veræ, so-
 lidæque virtutis portum perducas,
Amen.

HORA XI.

Ad Matrem Sodalium Marianorum.

O Domina! ô Magistra! ô vera
 Auëtrix! & Mater Sodalium
 tuorum! sicut te DEus Pater poten-
 tissimam effecit, Filius inexplicabi-
 libus sapientiæ thesauris replevit, &
 & Spiritus S. tibi amorem cum ple-
 nitudine gratiæ infudit, ita redde
 animas tuorum Sodalium horum
 dono-

donorum participes, & uberioribus
DEI gratiis in dies recipiendis ca-
paces, ut quando nomine Filios
tuos nos profitemur, operandi quo-
que studio filialis amoris mensuram
impleamus. Amen.

HORA XII.

Ad Matrem meam Dilectissimam.

IN manus tuas, ô Mater mea di-
lectissima! commendo spiritum
meum: tibi ego soli derelictus
sum, egenus & orphanus, id est
Filius tuus: Monstra te igitur Ma-
trem meam, quam elegi, & iterum
eligo, atque ad pedes tuos humil-
lime prostratus, tibi cor meum of-
fero. Confiteor ô Mater! debebam
esse propter peccata mea filius iræ,
sed per nimiam bonitatem tuam fa-
ctus sum filius gratiæ. Ama me ô
Mater! quia amo te, & eligo
millies mori, quam non
amari à te,

A M E N.

LI-

LITANIAE DE B. M A T R E.

KYrie Eleison. Christe Eleison. Ky-
rie Eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis DEUS. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS. Misere-
re nobis.

Spiritus Sancte DEUS. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unusDEUS. Miser. nobis.
Sancta Maria.

Sancta Virgo Virginum.

Mater Christi.

Mater Divinæ gratiæ.

Mater Purissima,

Mater Castissima.

Mater inviolata.

Mater Intemerata.

Mater Amabilis.

Mater Admirabilis.

Mater Creatoris.

Mater Salvatoris.

Mater nostra dilectissima.

Apud JESUM Filium tuum. Propitia no-
bis esto.

Apud JESUM Judicem futurum. Advo-
cata nobis esto.

Ora pro nobis.

Ab omni animæ & corporis malo.
 Ab omni peccato.
A spiritu fornicationis.
A subitanea & improvisa morte.
A morte perpetua.
Per æternam Prælectionem tuam.
Per Immaculatam Conceptionem tu-
 am.
Per Sanctam Nativitatem tuam.
Per mellifluum Nomen tuum.
Per dévotam Præsentationem tuam.
Per cœlestem in terris Conversatio-
 nem tuam.
Per purissimam Desponsationem tuam.
Per Angelicam Annunciationem tuam.
Per supervenientis in te Spiritus San-
 cti Obumbrationem.
Per humilem Visitationem tuam.
Per virgineum Partum tuum.
Per intemeratam Virginitatem tuam.
Per purissimam Purificationem tuam.
Per dulcissimam Conversationem cum
 Filio tuo.
Per Dolores tuos.
Per Gaudia tua.
Per amorosam mortem tuam.
Per admirabilem Assumptionem tuam.
Per gloriosam Coronationem tuam.
Per Viscera misericordiæ tuæ.
Nos Filii tui. Te rogamus audi nos.
Ut

Liber nos ô Mater.

- Ut veram pœnitentiam nobis impre-
trare digneris.
- Ut mentis, & corporis puritatem no-
bis impetrare digneris,
- Ut nos ab hoste protegere, & in hora
mortis suscipere digneris.
- Ut nos in obsequio Filii tui confor-
tare digneris.
- Ut tui amorem filiale in nobis au-
gere, & conservare digneris.
- Ut in nobis sincerum virtutis amo-
rem, & studium accendas.
- Ut in sancto servitio tuo nos conser-
ves.
- Ut in Sancta Ecclesia antiquam erga
te pietatem conserves.
- Ut nobis in temptationibus assistere, &
in hora mortis animam nostram su-
scipere digneris.
- Ut tibi Filii devoti, & invocantes
tuum nomen moriamur.
- Ut omnibus fidelibus defunctis requi-
em æternam impetrare digneris.
- Mater nostra dilectissima.
- Agnus DEI, &c.
- ¶. Sub tuum præsidium.
- ¶. Confugimus. &c.
- ¶. ô Domina quia ego Servus tuus.
- ¶. Ego Servus tuus, & Filius Ancillæ tuæ.
- ¶. Confirmata hoc DEUS, quod operatus
es in nobis.

Te rogamus audi nos.

¶. A

HORA II.

Ad Matrem Divinæ gratiæ.

FAc, ô Benedicta Mater Divinæ gratiæ, per plenitudinem gratiæ, quam apud DEUM invenisti, per prærogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperi-
sti, ut qui te mediante fieri digna-
tus est particeps humanitatis, & mi-
seriæ nostræ, te quoque interceden-
te participes nos faciat hic gratiæ,
ibi vero beatitudinis, & gloriæ suæ,
JESUS Christus Filius tuus Domi-
nus noster, qui tecum est super
omnia benedictus in sæcula, Amen.

HORA III.

Ad Matrem purissimam.

PEr viscera misericordiæ tuæ,
Mater purissima, quibus omnes
ad te confugientes Materna pietate
complecteris, largire supplicibus
nobis, ut qui te veram Genitricem
DEI, & Matrem nostram venera-
mur in terris, precibus ac meritis
adju-

adjuti tuis , effectum miserationis
 Divinæ consequamur , & demum
 te videre , & amare mereamur in
 cœlis , ô clemens ! ô pia ! ô dulcis-
 sima Virgo , Mater nostra Maria !
 Amen.

HORA IV.

Ad Matrem castissimam.

O Bsecro te , ô Mater castissima !
 per gratiam , qua Dominus te-
 cum , Teque ab æterno in Filii sui
 Matrem eligens , voluit esse secum , fac
 nobiscum secundum magnam mi-
 sericordiam , & Maternam pieta-
 tem tuam , ut ab omnibus , quæ si-
 ve in mente , sive in corpore Vir-
 gineis tuis oculis placere nequeant ,
 simus liberi , & adversus omne ,
 quod puritati repugnat , tuo per-
 petuo auxilio muniti . Amen .

HORA V.

Ad Matrem inviolatam.

N On alia nobis fiducia , ô Maria !
 nisi per te , non aliis nobis
 certior salutis portus , nisi in te ô
 Ma-

R. A templo sancto tuo , quod est in
Jerusalem.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

O R E M U S.

COncede quæsumus omnipotens
æterne Deus, ut qui Matris uni-
geniti Filii tui Filiorum nomine læ-
tamur, ejusdem apud te intercessio-
nibus adjuti, ab omnibus malis libe-
remur, & ad æterna gaudia pervenire
feliciter mereamur. Per eundem
Christum Dominum nostrum, Amen.

O R E M U S.

Domine JESU Christe, qui in
Cruce pro salute humani gene-
ris moriens Matri tuæ dilectum Di-
scipulum Joannem in Filium com-
mendasti, largire supplicibus nobis,
ut te toto corde diligentes, no-
mina nostra tamquam Filiorum Ma-
riæ scripta esse in Cœlis gaudea-
mus, qui vivis & regnas
in sæcula sæculorum.

A M E N.



Georgius Stibach
hod vesz iskt
hael vesz iskt
val vesz iskt legen hi.
Hic li. Passos hinc
monter

Año Domini 1.7.100 81.

Anno 1798.

2.
Anno 1798. Anno 1895.

Anno 1798. Jan

Dagobertus horváth

Año 1798.

Anno 1895.

